



Bona enim temporalia non sunt simpliciter hominis bona, nisi secundum quod organice deserviunt ad spirituale bonum. Quomodo autem hoc cedat in profectum spiritualis boni, supra ostensum est.

SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendum, quod illud quod est formale in unoquoque, est excellentius in eo, quia per formam materia completur. In qualibet autem actione illud quod est ex parte agentis, est quasi formale; illud autem quod est ex parte patientis, vel recipientis, est quasi materiale. Dicitur autem est supra, quod misericordia in omni opere divino resultat ex parte ipsius Dei, qui superabundat in bono; sed iustitia ex parte recipientis, qui recipit secundum suam proportionem: & ideo in quolibet opere divino supereminet misericordia iustitiae, sicut materiali formale; & hoc est quod in Psalm. cXLIV. 9. dicitur: Miserationes eius super omnia opera eius.

Ad primum ergo dicendum, quod dicitur esse horrendum incidere in manus Dei viventis, non propter remotionem misericordiae relaxantis aliquid de poena, sed propter poenae interminabilitatem, vel etiam propter remotionem resistentiae: quia eius ira nemo resistere potest, cum sit omnipotens: nec ab eo fugere, cum sit ubique praesens; nec coram eo fallaciter se excusare, cum omnia sciat.

Ad secundum dicendum, quod Anselmus loquitur non de iustitia quae attendit proportionem creaturae, vel humanae merita, sed quae attendit solam decentiam bonitatis divinae: ex tali enim decentia misericordia nascitur: non autem loquitur de iustitia secundum quod respicit debitum ex parte creaturae.

Et similiter etiam est dicendum ad tertium.

ARTICULUS III.

Utrum per divinam misericordiam omnis poena terminetur tam hominum, quam etiam daemonum.

I. P. quest. LXIV. art. 2. in corp. & III. contra Gent. cap. cXLIV.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod per divinam misericordiam omnis poena terminetur tam hominum, quam etiam daemonum. Quia Sap. XI. 24. Misericors omnium Domine, quoniam omnia potes. Sed inter omnia etiam daemones continentur qui sunt Dei creaturae. Ergo & daemonum poena finietur.

2. Praeterea. Rom. XI. 32. Conclusit Deus omnia (1) sub peccato, ut omnium miseretur. Sed Deus daemones sub peccato conclusit, id est sub peccato concludi permisit. Ergo videtur quod etiam daemonum quandoque misereatur.

3. Praeterea. Sicut dicit Anselmus in Lib. Cur Deus homo (I. cap. VI.) non est (2) iustum ut Deus creaturam rationalem quam fecit ad beatitudinem, omnino perire sinat. Ergo videtur quod cum quaelibet creatura rationalis creata fuerit ad beatitudinem, non sit iustum ut omnino perire permittatur.

Sed contra est quod dicitur Math. XXV. 41. Ite maledicti in ignem aeternum, qui parati estis diabolo, & angelis eius. Ergo aeternaliter punientur.

Praeterea. Sicut boni Angeli effecti sunt beati per

(1) Vulgata, in incredulitate. (2) Al. injustum. (4) Al. petitorio.

conversionem ad Deum, ita mali angeli effecti sunt miseri per aversionem a Deo. Si ergo miseria malorum angelorum quandoque finiat, & beatitudo bonorum finem habebit; quod est inconueniens.

QUESTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod divina misericordia non permittat, saltem homines, in aeternum puniri. Quia Gen. VI. 3. dicitur: Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est: & accipitur ibi spiritus pro indignatione, ut patet per Glossam ibidem. Cum igitur indignatio Dei non sit aliud quam eius poena non punientur aeternaliter.

2. Praeterea. Caritas Sanctorum in praesenti hoc facit ut pro inimicis exorent. Sed tunc habebunt perfectiorem charitatem. Ergo tunc orabunt pro inimicis damnatis. Sed orationes eorum esse cassas non poterunt, cum sint maxime Deo accepti. Ergo precibus Sanctorum divina misericordia quandoque damnatos a poena liberabit.

3. Praeterea. Hoc quod Deus poenam aeternam damnatorum praedixit, ad prophetiam comminationis pertinet. Sed propheta comminationis non semper impletur; quod patet per hoc quod dicitur est de subversione Ninive, quae non fuit subversa, sicut praedictum fuerat per Prophetam, qui ex hoc etiam contristatus fuit. Ergo videtur quod multo amplius per divinam misericordiam comminationis poenae aeternae commutabitur in mitiorem sententiam, quando in nullius tristitia, sed in omnium gaudium cedere poterit.

4. Praeterea. Ad hoc facit quod in Psalm. LXXXV. 8. dicitur: Numquid in aeternum (3) irascetur Deus? Sed ira Dei est eius (4) punitio. Ergo Deus in aeternum homines non puniet.

5. Praeterea. Isai. XLV. super illud: Tu autem proiectus etc. dicit Glossa: Et si omnes animae aliquando habebunt requiem, tu numquam: loquens de diabolo. Ergo videtur quod omnes animae humanae aliquando requiem habebunt a poenis.

Sed contra est quod dicitur Math. XXV. 46. simul de electis, & reprobis: Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam. Sed inconueniens est ponere quod iustorum vita quandoque finietur. Ergo inconueniens est ponere quod reproborum supplicium terminetur.

Praeterea. Sicut dicit Damascenus, Lib. II. de Fide orth. cap. IV. hoc est hominibus mors quod angelis casus. Sed angeli post casum irreparabiles fuerunt. Ergo & homines similiter post mortem, & sic damnatorum supplicium numquam terminabitur.

QUESTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod saltem Christianorum poena per divinam misericordiam terminetur. Quia Marc. ult. 16. dicitur: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Sed hoc est omnium Christianorum. Ergo omnes Christiani finaliter salvabuntur.

2. Praeterea. Joan. VI. 55. dicitur: Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam. Sed hoc est communis eibus, & potus Christianorum. Ergo omnes Christiani finaliter salvabuntur.

3. Praeterea. I. Corinth. III. 15. Si cuius opus ar-

(3) Vulgata projiciet, ut & Supplementum.

serit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem: & loquitur de illis in quibus fuit fundamentum fidei Christianae. Ergo omnes tales finaliter salvabuntur.

Sed contra est quod dicitur I. Corinth. VI. Iniqui regnum Dei non possidebunt. Sed quidam Christiani sunt iniqui. Ergo non omnes Christiani ad regnum Dei pervenient.

Praeterea. II. Petri II. 21. dicitur: Melius erat eis (5) viam veritatis non cognoscere quam post agnitam retrorsum ab eo quod traditum est illis sancto mandato. Sed illi qui viam veritatis non cognoscunt, aeternaliter puniuntur. Ergo & Christiani qui ab agnita retrocesserunt.

QUESTIUNCULA IV.

1. Ulterius. Videtur quod illi omnes qui opera misericordiae faciunt, non punientur aeternaliter; sed soli illi qui opera misericordiae negligunt. Jac. II. 13. Iudicium sine misericordia fiet ei qui non fecit misericordiam: & Matth. V. 7. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

2. Praeterea. Math. XXV. ponitur disceptatio Domini cum electis, & reprobis. Sed illa disceptatio non est nisi de operibus misericordiae. Ergo solum pro operibus misericordiae omissis aliqui aeternaliter punientur; & sic idem quod prius.

3. Praeterea. Math. VI. 12. dicitur: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: & sequitur: Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester caelestis delicta vestra. Ergo videtur quod misericordes, qui aliis peccata dimittunt, ipsi veniam peccatorum consequantur; & sic non aeternaliter punientur.

4. Praeterea. I. Tim. IV. super illud: Pietas ad omnia valet, dicit Glossa Ambrosii (Ambrosiasti.) Omnis summa disciplinae christianae in misericordia, & pietate est: quam aliquis sequens, si lubricus, cum carnis patiat, sine dubio vapulabit, non tamen peribit; si quis autem solum exercitium corporis habuerit, perennes poenas patietur. Ergo illi qui insistant operibus misericordiae, qui peccatis carnalibus derinentur, non in aeternum punientur; & sic idem quod prius.

Sed contra est quod dicitur I. Corinth. VI. 9. Neque fornicarii, neque adulteri regnum Dei possidebunt. Sed multi qui se exercent in operibus misericordiae, sunt tales. Ergo non omnes misericordes ad regnum aeternum pervenient; & ita aliqui eorum aeternaliter punientur.

Praeterea. Jac. II. 10. dicitur: Quicumque totam legem servaverit, (6) offenderit autem in uno, factus est omnium reus. Ergo quicumque servat legem quoad opera misericordiae, & negligit alia opera, reatum de transgressione legis incurret; & ita aeternaliter punietur.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod error Origenis fuit, ut Augustinus XXI. de Civ. Dei, cap. XVII. dicit, quod daemones quandoque per Dei misericordiam liberandi sunt a poenis. Sed iste error ab Ecclesia est reprobus propter duos. Primo, quia manifeste auctoritati Scripturae repugnat, quae habet Apoc. XX. 9. Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris, ubi bese-

(5) Vulgata: non cognoscere viam iustitiae, quam post agnitionem retrorsum converti etc. (6) Vulgata: offendat. (7) Al. perpetraverunt.

ita, & pseudopropheta, cruciabantur die ac nocte in saecula saeculorum: per quod in Scriptura significari aeternitas consuevit. Secundo, quia ex una parte Dei misericordiam nimis extendebat, & ex alia parte nimis eam coarctabat: ejusdem enim rationis esse videtur bonos Angelos in aeterna beatitudine permanere, & malos Angelos in aeternum puniri. Unde sicut ponebat daemones, & animas damnatorum quandoque a poena liberandas, ita ponebat Angelos, & animas beatorum quandoque a beatitudine in hujus vitae miseriis devolvendas.

Ad primum ergo dicendum, quod Deus, quantum in ipso est, misereatur omnibus; sed quia eius misericordia sapientiae ordine regulatur, inde est quod ad quosdam non se extendit, qui se fecerunt misericordiae indignos, sicut daemones, & damnati, qui sunt in malitia obstinati. Tamen potest dici, quod in eis misericordia etiam locum habet, in quantum citra condignum puniuntur, non quod a poena totaliter absolvantur.

Ad secundum dicendum, quod ibi intelligenda est distributio pro generibus singulorum, & non pro singulis generum; ut intelligatur auctoritas de hominibus secundum statum vitae: quia scilicet & Judaeorum, & Gentilium miseris est; sed non omnium Gentilium, vel omnium Judaeorum.

Ad tertium dicendum, quod Anselmus intelligit non esse justum quantum ad decentiam divinae bonitatis, & loquitur de creatura secundum genus suum: non enim est conveniens divinae bonitati, ut totum unum genus creaturae deficiat a fine propter quem factum est: unde nec omnes homines, nec omnes Angelos damnari convenit; sed nihil prohibet quin aliqui ex hominibus, vel ex Angelis in aeternum pereant: quia divinae voluntatis intentio impletur in aliis qui salvantur.

SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod, sicut dicit Augustinus XXI. de Civ. Dei, ubi sup. quidam in hoc ab errore Origenis declinaverunt, quod daemones posuere in perpetuum puniri; sed omnes homines quandoque liberati a poena, etiam infideles. Sed haec positio est omnino irrationabilis. Sicut enim daemones sunt in malitia obstinati, & ita perpetuo puniendi; ita & animae hominum qui sine charitate decedunt; cum hoc sit hominibus mors quod Angelis casus, ut Damascenus dicit.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum illud intelligendum est de homine secundum genus suum; quia ab humano genere quandoque indignatio est remota per Christi adventum; sed illi qui in hac reconciliatione, quae facta est per Christum, noluerunt esse, vel permanere, in seipsis divinam iram (7) perpetuaverunt, cum non sit nobis aliquis modus reconciliationis concessus, nisi per Christum.

Ad secundum dicendum, quod, sicut dicit Augustinus XXI. de Civ. Dei, cap. XVII. & Gregorius IX. Moral. XXXIV. cap. XVI. & IV. Dialog. c. LIV. Sancti in hac vita ideo pro inimicis exorant, ut convertantur ad Deum, cum adhuc converti possint: si enim esset nobis notum quod essent praescripti ad mortem, non magis pro eis quam pro demonibus oraremus. Et quia post hanc vitam decedentibus sine gratia tempus conversionis non erit, nulla pro eis fiet oratio nec ab Ecclesia militante, nec a triumphante;

(7) Vulgata: non cognoscere viam iustitiae, quam post agnitionem retrorsum converti etc. (6) Vulgata: offendat. (7) Al. perpetraverunt.